Abrek Andreas.

Tawolowicz Matthiae Joan: Infula nativis meritorum, virtutis et sapientiae gemmis — splendens.

I N F V L A

Nativis meritorũ, virtutis, & ſapientiæ gemmis,

ipſo ſalutifero die

ANNVNTIATÆ CÆLORVM REGINÆ

IN

Perillustri & Reverendiſsimo Domino,

D. M. ANDREA ABREK

Sacræ Theologiæ Doctore, DECANO INFVLATO Zamoſcenſi, Tarnogrodenſi, Sczebrzeſzynenſi PRÆPOSITO,

SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS

SECRETARIO,

SPLENDESCENS.

DVM

SOLENNES INFVLATI SVI HONORIS PRIMITIAS,

In Eccleſia Collegiata Zamoſcenſi,

Magno Omnium Applauſu honorificentiſſimè,

auſpicaretur,

Obſequenti calamo, debitæ Venerationis & gratulationis ergó,

PER

M. MATTHIAM IOAN: PAWOŁOWICZ

Philoſophiæ Doctorem, Rhetorices, & Dialectices in Vniverſitate Zamoſcenſi Ordinarium Profeſſorem.

publicæ Lætitiæ

DEMONSTRATA.

Anno revelati in Carne humana VERBI,

1696 Die 25 Menſis Martij.

ZAMOSCII TYPIS VNIVERSITATIS, imprimebat IOANNES RVTOVVSKI.

PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI.



Quò portas volucrem CRVX congeminata sagittam?
Fors illi splendens INFVLA meta fuit.
Sacrum est hoc Telum, terris requiescere nescit;
Sola dioptra illi est INFVLA: meta DEVS.

CONSTANTINVS GREGORIVS DROBYSZ TVSZYNSKI,
Subdapiferides Zytomiriensis,
Studiosus Academiæ Zamoscensis.

INFVLA
Nativis Virtutū, meritorū, & sapientiæ gemmis
SPLENDESCENS.

DAte sidera conscia plausum
Novo INFVLATI HONORIS, non tàm gemmis, quàm Virtutibus
conspicuo splendori,
cujus claritatem in summo, pretium in excessu
Zamoscanus miratur Horizon.
& ex minimis, stellæ scintillantes, non tàm verborū apparatu ornant,
quàm pronis gratulationum acclamationibus venerantur:
& non mirùm?
Nativus enim ABRECCII decor,
semper magnas inter primæ magnitudinis Faces eminet,
& non tantùm tonantia, sed fulminantia
Orbi Polono doctarum mentium
Lumina suppeditat.
Vivum exemplar huius Luminis in TE est,
PERILLVSTRIS REVERENDISSIME
DOMINE,
dùm INFVLA ZAMOSCENSIS decorat CAPVT Tuum,
& meritò, quia aureum.
Amant video Tiaræ doctos, quæ mentes, non tantùm Capita
coronare ambiunt.
Regiam Honoribus Tuis stravêre viam
Magni Majores,
Intendit ZAMOSCANI LYCÆI fulgentissimo splendore lucem
ANDREAS ABREK
V: Iuris Doctor, & Professor,
PARENS Tuus desideratissimus.
Pietate NVMA, Morali scientiâ, & probitate SENECA
Iustitiâ LYCVRGVS,
Redivivus Eloquentiæ, scriptisq; gravissimus Tullius,
Navus ACADEMIÆ scientissimus GVBERNATOR PALINVRVS

 cuius

Nec VOS perennis fama silebit EXVLES Beati,
quos Anglicana impietas ZAMOSCANÆ pietati consignans,
extorrem crudelibus terris Virtutem, suam fecit,
signavit Sangvine Lacteam ILLVSTRISSIMÆ STIRPI SVÆ viam
Magnus Angliæ Cancellarius
THOMAS MORVS.
Ita cælo æternùm vivens, hîc in posteris perennat
Martyr Sanctissimus.
in TE MATERNO cum sangvine radios sanctitatis derivans
REVERENDISSIME INFVLATE.
Immortale exinde ABRECCIANÆ DOMVI Elogium
redivivo Biblici Senis enthusiasmo expressum
Filij Sanctorum sumus.
Inscripserat ille monstrorum altricis Patriæ sarcophago
Hic nihil est MORI.
In Tui cordis MAGNE PRONEPOS monumento êxculpsit.
Hic totum est MORI.
Si TVOS adolescentiæ Annos inspexero,
semper gemmeos video,
quos favorabilis LVCINA primo Nativitatis Horoscopo
à fascijs ad Fasces literatos futurum Cadmum augurabatur.
TVARVM quippe Virtutum, magna indicia erant,
quæ TE semper SVMMVM sapientiæ MYSTAM
modò INFVLATVM præsentant.
& bene est,
qnia inter Optimates Prudentùm SOCRATES
inter disertos ab adolescentiâ TVLLIVS
inter Philosophantes ARISTOTELES
inter Theologos LOMBARDVS & THOMAS extitisti.
ita nimirùm,
Tuæ ætatis primæ auspicium mentibus insedit mortalium,
ut ab AQVINATE Solem pectori illapsum,
ab AMBROSIO mella in linguam,
ab AVGVSTINO fulmen in calamum,
à CHRISOSTHOMO auream dicendi venam
derivari sibi polliceretur.
& non vano omine:

quia

quia ut alter Roscius Rosas loqueris, & non verba,
imò aurum in alios fundis,
dùm Peroraturus Cathedram ascendis.
Viderat in TE ZAMOSCIVM, quod proprium Eruditis,
admirabatur, quod consentaneum probis.
Diù egisti Spartham Academicam, quia laboriosissimam,
Non computasti annos, non curasti tædia,
sed in censu reponens anhelantes
sine respectu, & solatio curas.
Alter Athlas,
qui toties RECTOR Academiæ Zamoscensis
labores, & intaminatum Honorem sustinebas,
Vnde cedro digna mereris trophæa, & præmia.
In TE verè est Literati Orbis pretium, & decus,
& inæstimabilis Sapientiæ, Virtutisq; thesaurus,
Habens præcelsi pennas genij festinato currat Tecum passu,
exæquare tamen TVORVM Meritorum Olympias
minùs valentem se inveniet.
Panegyres enim Virtuti TVÆ nectere, littus arare est.
quià ipsa iam pridem sibi excrevit in Laudes,
INFVLASq; promeruit, & Coronas,
Si intueri licet pietatis TVÆ insignia?
hæc sunt Triumphalia,
nam binæ CRVCES pietatis, & Virtutis Symbolon sunt:
Vnam scilicet à sancto TVTELARE accepisti,
in qua quidquid TIBI contrariùm, quidquid arduum,
ut alter Constantinus non solùm vides, sed fortiter
vincis, & triumphas.
Haud mirùm:
Nullibi ANDREÆ Nomen sine CRVCE,
Alteram Inclyta STIRPS ABRECCIANA, Genusq; MAIORVM TIBI
tradidit.
Extat superstes Echo piè functi
PERILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDI
IOANNIS ABREK,
Canonici Zamoscensis, Præpositi Krzeszovienseis,
Germani Tui Charissimi,
in quo Vox Clamantis in promovendo Divino Cultu ita resonabat,

ut parare aliam viam, præter ad Cælum nescîverit.

Magno Fratri Superstitem, & Maiorem,

Magna non nunc primùm suspexêre NOMINA,

INFVLATIq; HONORIS ultrò renuenti detulerit VITTAS.

Tuum limatissimum appello iudicium Serenissima GRISELDIS CONSTANTIA, Magni REGIS inclyta MATER,

Inconnivam illam altissimæ pupillam mentis,

ita in PRÆLATO dignissimo fixeras,

ut eminentem Virtutibus spontè volueris eminere.

Neq; labere lucernam sub modio,

Voluerunt tamen SVPERI, ut tantæ expectationis præmia,

per tornatiles Manus & aureas

ILLVSTRISSIMÆ & EXCELLENTISSIMÆ DOMINÆ

ANNÆ in Zamoscie ZAMOSCIÆ,

defluerent in meritissimum CAPVT.

Ita CONSTANTIAM Sancta eludens Constantiâ moderatio

ANNÆ id est Gratiæ, imò Gratiarũ compendio manus dedit.

Digna legi virtus, ultrò sese INFVLA supplex obtulit,

& solus meruit regnare Rogatus.

Augusta nostra Pulcherria,

postquàm DOMVM DEI multiplici decore, auroq; inundavit,

Dignissimo insuper coronavit PRÆSIDE,

FLVMINA nempè GRATIARVM

pervigili munienda erant DRACONE.

Assurge Moderatori Tuo Zamoscensis Basilica,

nam qui custodit Te,

non dormitabit, neq; dormiet.

Sed modestiæ Tuæ inferre vim religio est,

quæ erubescere consveta NOMEN gloriæ TVÆ pallet,

& pro Vniversis Meritis unicum exposcit silentium.

Sed ipsæ licet mutæ Memnonis statuæ, radijs splendorum TVORũ

tactæ; summa, quæ merens loquerentur Elogia,

quomodo Eclypsim famæ nunquam noscitura splendidissima

SERENISSIMI Diuæ memoriæ MICHAELIS POLONIARũ REGIS LVNA

Te

Te dignu VERBI DIVINI Præconē sub tempus CORONATIONIS

REGIÆ judicaverit.

Ipsi Sacri Ordinis PRÆDICATORVM Cracoviensis BASILICÆ

hucusq; parietes loqvuntur,

quantus ex sacro suggestu Orator extitisti,

Qui non ut Tullius corã Cæsare, sed corã Rege

Totoq; SENATV POLONO disertissimè perorasti.

Latere quidem TVO cum Eloquio voluisti,

nisi Regia LVNA Te produxisset in apricum.

Profundâ silentij umbrâ claros Eloquij TVI cæteros veneror Labores,

quos Eximijs VIRIS Toga Sagoq; Clarissimis dedicasti.

Sed unum pro cunctis fama loquatur opus,

quod in auspicato Connubio decantasti

ILLVSTRISSIMI olim

IOANNIS ZAMOYSKI

Palatini Sendomiriensis,

& SERENISSIMÆ modernæ REGNATRICIS Dominæ Clementissimæ,

ubi ita Svadam TVAM disertissimè accuisti,

ut non Verba funderes, sed Rosas.

Quoties palmare Tuum Ingenium

ILLVSTRISSIMÆ DOMVS

ZAMOSCANÆ

immortales Rectefactorum Laudes impressis notavit paginis,

toties ipse bene Meritorum inscribebaris Syllabo,

quia ornare alios Elogijs, est sibi ipsi addere splendorem,

qui ita in Te felicissimè eminet, ut in pretiosas

Meritorum ad INFVLATVM Honorem resplendescat gemmas.

TVA INFVLA habet pretium, & decorem,

per manus tornatiles aureas plenas Hyacinthis,

quas Gemma Præsulum, Decus Senatorum,

ILLVSTRISSIMVS & REVERENDISSIMVS DOMINVS,

D. STANISLAVS, HIACYNTHVS

in Święcice

SWIĘCICKI,

 Episcopus

TIBI impoſuit.

Agnoſcit & ſplendorem à SWIECICCIANA SOLEA,

Quæ ut Sol radiis inter Stellas Minores,

in Eccleſia DEI eximiis Virtutibus, in Senatu

ſummis Honoribus ſplendet, & lucet.

Aqvilinum in TE fixit obtutum Oculatiſſimus PRÆSVL,

REVERENDISSIME INFVLATE,

tantam Virtutem, ut Suo admoveret Faſtigio,

INFVLIS devinxit.

Quanquàm Honoris accretio laboris cumulus eſt,

hic Tibi omnem in vitam familiaris,

dùm arguens demetis vitia, & colligis virtutes,

penitùs è cordibus enervas errores, veritatem in animis firmas.

Grandævâ in Senecta quietis minimè sitiens, & avidus,

ſed motu Laborum ceu in primo mobili continuò agitatus,

ubiq; clarus, ubiq; eximius utriusq; Zamosceñ:

COLLEGII SCHOLASTICVS extitiſti.

Loqvuntur Exedræ, proclamant porticus Stoæ, quòd Zamoſcana glorioſiùs per TE, quàm Romana in ſuis Roſtris per Tullium triumphavit Eloquentia.

Divinior Platone in resolvendis PhilosophicisDogmatibus videbaris, dùm in stuporem vultus, animosq; hominum in TE contemplandi normam non ſemel rapuiſti.

Si Te Academici candoris dixero Primipilum? non errabo: quia Primatum tenes.

Superas Iſocratem Svavitate, dùm dicendo mulces animos, & operando in Tui amorem trahis.

Vincis acumine Hyperidem, quo pungendo videris gravis, quia nunquàm levis fuiſti.

Cum Lyſia ſubtilitate victorioſè certas, quia non tantùm craſſas ignorantiæ tenebras diſſipas, ſed nodoſos quoſq; ſenſus diſrumpis, errores luculentiſſimè expellis.

Tonitrua, & fulmina Periclis quid proſunt? quæ magis terrore, quàm amore clareſcunt: quoniam TV plùs quàm Pericles, arguendo ſvaviter tonas, paternè monendo, non magis verbis, quàm gratijs fulguras.

ergo

PERIL-

PERILLVSTRIS, & REVERENDISSIME DOMINE fulgor es, sed verissimus:
Luces enim in ZAMOSCANO ZODIACO ad Virtutum imitationem exemplari vitâ,
ardes in promovendo Divinæ Gloriæ cultu zelosissimè,
rigida, & frigida mortalium corda in Divini Amoris flammas accendis, ut inter tenebras mortalitatis posita,
SOLEM justitiæ speculentur.

Theologum si Te mirabor?
Viatorem simul, & Comprehensorem cerno:
quià Tua scientia tantùm de DEO, Tua lectio de Visione DEI, Contemplatio de Bonitate ejus, discursus de Comprehensione Cæli.
Si enim disputas, das obscuris lucem, si loqueris, das notis gratiam. Si explicas, prabes antiquis nitorem, si arguis, ignorantiæ interitum. Si discursu certas, exitium erroribus, si objecta solvis, veriùs quàm ex Tripode Appollinis dubijs responsa suppeditas.

Si Liberalitatem in Te intueor?
Trajanus es, quia nunquã feliciorem Te putas, quàm inopes de Tuo facere felices,
Diem TE perdidisse existimas, si egeno, & pauperi largam non porrigis Manum.
TVI namq; ipsius Vigil odisti thesauros, qui vigilare faciunt.
Sed quis innumeras Virtutum Tuarum numerabit Dotes?
quarum Magnitudo intellectum obruit,
calamum hebetat, ingenium excedit,
Multitudo acumen solertiæ adimit,
Nominis claritas, & honoris Infulati splendor
limpidissimos cujusq; mentis conceptus obumbrat.
Sed nimirùm ipsa sibi Virtus (cujus gloria pedisequa est) pulcherrima merces,
in cujus desudare Panegyres non aliud nisi lucem Soli,
guttam Oceáno dare.
Aliorum Virtutes semper comitem invidiam habent,
TVA ubiq; affabilitatis insigne documentum.
Virtutis Tuæ tanta felicitas est,
ut nullis volubilis fortunæ opposita jaculis ipsa sibi præmium,
quæ in auge Honoris Zamoscani posita, non occasum, vel casum, sed orientem prosperitatis, meridiem perennitatis auspicatura sonat.

 Gaudet

Gaudet Collegiata Zamoſcenſis Te INFV-
LATO feliciter auſpicato,
quia Hunc in eo Honore videt, quem Virtus à multis annis fecerit
Candidatum.

Fulges PRÆLATVS non auro, ſed peralto Meritorum Lumine,
& non minùs Sacerdotali Dignitate, quàm Virtutum ſplendore.

Quià ſi TE in DIVINIS Muneribus intueri licet?
PROVIDES DOMINVM IN CONSPECTV TVO SEMPER,
Aras Victimis, pectus DIVINIS flammis accenſurus,
Argi oculos Superat in Te Vigilantià, quam OVILI SACRO ex-
hibes Tibi commiſso.

Quantùm decorem Domûs DEI dilexeris,
TARNOGRODENSIS ECCLESIÆ Sacra teſtatur ſupellex.
Hinc triſtibus ex flammis redivivum Phænicem
lætiori divitis metalli fulgore feciſti radiantem,
Ita vigilantiſsimus Paſtor,
non ad timorem tantùm NVMINIS OVILE Tuum aſſvefacis,
ſed inſuper ad reverentiam.

Gratulare Tibi perauguſtum Collegiatæ Za-
moſcenſis Capitulum tantum INFVLATVM
magis Virtutibus quâm adamantibus,
magis Eruditione, & Meritis, quàm INFVLA gemmiſq; decoratum.
Fateri certè neceſsùm eſt:
in Eo Sapientiæ Sedem, Pietatis Domicilium ſtare,
non tamen ſine numeroſo Virtutum comitatu.

Ergo
PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME
INFVLATE Zamoſcenſis,
hoc Inſignitus Honore, ſtipatus Meritis,
comitatus Virtutibus, clarus Sapientiæ Auguſtali.

Longævus in Hemiſphærio Zamoſcano ſplen-
deſcas, & ſemper Dignitatis Tuæ immorta-
lem gloriam prehendas, &
Coronam.